TEMPVS.

C Primo uere & Maio potiſsimũ menſe, inter flores emicat Leucoion. Hocitaque tempore flores carpendi. Semen inter æſtatis initia profert.

TEMPERAMENTVM.

Leucoion abſtergentẽ facultatem poſsidet, & tenuium eſt partium, Galeno autore, proinde ut calidum ſit neceſſe eſt.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Lutea in medicina præcipui uſus eſt. Huius flores aridi efferuefacti in deſeſsionibus, contra uuluæ inflammationes ualent, & menſtrua educunt. Cerato excepti rimas ſedis ſanant: cum melle oris ulcera. Semen eius duûm drachmarum pondere ex uino potum, aut cum melle appoſitum, menſes, ſecundas & fœtus educit. Radices cum aceto illitæ, reprimunt lienem, & podagricos iuuant.

EX GALENO.

Leucoïj frutex uniuerſus extergentẽ facultatem obtinet, ac tenuiũ partium eſt, plus tamen flores, & inter hos qui ſunt ſicciores magis etiam quàm uirides, adeò ut & oculorum craſſas cicatrices extenuent. Tum menſes quoq; decoctũ eorum mouet, & ſecundas, fœtumq; emortuum elicit, & ſi bibatur, abortum facit. Eſt ergo id medicamentũ, ut ſi quod aliud, amarum. Quod ſi quis uirium eius uehementiam multa aqua admiſta mitiget, aut certè id genus aliquo, habebit & ad phlegmonas bonum medicamentũ. Sic decoctum eius ſi non merum fuerit, uteri phlegmonas identidem perfuſum ſanat, potiſsimum quæ diutino tempore ad ſcirri modum induruere. Sic cum cerato ulcera ægrè ad cicatricem peruenientia curat. Sunt uerò etiam qui cum melle ad oris ulcera adhibeant. Semen quum eiuſdem ſit facultatis, aptiſsimum eſt duarum drachmarũ menſura potum, tum menſibus ciendis cum
D melle appoſitum conuenire creditur, fœtumq; uiuentem interficere ac mortuum eĳcere. Radices ſimilis quoque facultatis, niſi quatenus craſsioris ſunt eſſentiæ, & magis terrenæ, cum aceto lienes induratos ſanant. Nonnulli uerò & phlegmonas induratas iĳs curant.

EX PLINIO.

Extenuant, menſtrua & urinã ciunt. Minor uis eſt recentibus, ideoq; aridis poſt annum utendũ. Lutea dimidio cyatho in aquæ tribus, menſes trahit. Radices eius cum aceto illitę ſedant lienem. Item podagram, oculorũ inflammationes, cum myrrha & croco. Folia cum melle purgant capitis ulcera, cum cera rimas ſedis, & quæ in humidis ſunt. Ex aceto uerò collectiones ſanant.

## DE LAPATHO. CAP. CLXXIIII.

NOMINA.

*Lapathum unde dictum.* *λαπάζειν.* ΛΑΠΑΘΟΝ Græci, Rumicem Latini, barbari Lapatium uocant. Lapathum autem ab effectu nomen accepit, quod ſcilicet exinaniat: etenim λαπάζειν uacuare uel exinanire Græcis eſt: omnium ſiquidem generum foliĳs decoctis aluus mollitur.

GENERA.

*Primum.* Huius quatuor genera facit Dioſcorides. Primum oxylapathon Græcis & Latinis dicitur. Officinæ Lapatium acutum, Germani Mengelwurtz/Grindtwurtz/Steyffwurtz/Zitterwurtz/Wildampffer nominant. Oxylapathũ, quamuis anceps in acidum ſaporẽ uel acutam figurã uideatur ſignificatio, tamen nomen hoc à foliĳs quæ in mucronẽ deſinunt accepiſſe uidetur. Secundũ genus hortenſe priori diſsimile, non quidẽ in uniuerſum, ſed duntaxat in foliĳs, quæ Serapione teſte, multo ſunt latiora. Hoc genus hauddubiè eſt Rhabarbarũ monachorum, quod paſsim hodie in hortis plantatur: Oxylapatho enim per omnia ferè ſimile eſt, folia tamen latiora obtinet, & ob cultũ paulò tenerius eſt. Cum autem primùm erumpũt folia, purpurea ferè ſunt, dein quotidie uiridiora fiunt, ut pictura ipſa monſtrat. Tertium

*Lapatium acutum.*

*Secundum.*

*Tertium.*

ſylue-

OXYLAPATHVM